

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.



DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE INFLAMMATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES STANLEY,

ANGLUS,

CHIRURGUS:

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCVIII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

JACOBO FOULIS

DE COLINTON,

BARONETTO,

ORDINIS NOVÆ SCOTIÆ EQUITI, &c.;

DIGNITATIBUS, HONORIBUS, TITULIS,

ANTIQUO STEMMATE,

CLARO;

INGENIO, MORUM ELEGANTIA, SUAVITATE,

ET OMNIBUS QUÆ HOMINEM EXORNANT,

VIRTUTIBUS INSIGNITO;

HANC DISSERTATIONEM,

BENEFICIIS QUAMPLURIMIS DEVINCTUS,

HONORIS ET OBSERVANTIÆ ERGO,

D. D. D.

DEVOTISSIMUS

JOANNES STANLEY.

NECNON,

VIRO

IN ARTE MEDICA PRÆSTANTI,

ANDREÆ GRAHAM, M. D.

CUI, PROPTER CONSILIA IN STUDIO,

ET MONITA IN PRAXI MEDICA,

FIDA SEMPER, ET VERA,

AMICISSIME COMMUNICATA,

PLURIMUM DEBET,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS VULT,

AUCTOR.

INDEX.

DIS-

Dr. Shea

with best respects

from his friend

The Author

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.

CUM Academia celeberrima Edinburgena ſanxit lege, ne quis, niſi diſputatione de re medica conſcriptâ, et in lucem editâ, ad Doctoris gradum evehatur; huic igitur neceſſitudini obtemperaturus, pauca de Inflammatione, quippe mihi medicinæ ſtudio incumbenti, ſæpius, per omnia ejus ſtadia, visâ et curatâ, conſcribere ſtatui.

A Hæc

Hæc affectio, secundus Pyrexiarum ordo, ad Phlegmasias refert; et sic, apud cel. CULLENUM, rei nosologicæ facilè principem, definitur:

"Febris synocha, phlogosis, vel dolor topicus simul læsa partis internæ functione, sanguis missus et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens *."

Cùm autem phlegmasiæ tot morborum genera, species, ac varietates complectitur; fieri non potest, ut quælibet definitio, quamlibet accurata, omnia ad inflammationem spectantia, comprehendat: pleniorem igitur mali historiam necesse habui reddere.

HISTORIA.

---

* Nosol. Method. T. ii. p. 82.

HISTORIA.

Quoniam inflammationis phænomena, terminationes, et curatio, ſunt diverſa pro diverſitate partis affectæ; eandem cum claro viro Doctore C. Smyth, qui bene de hoc argumento tractavit, in quinque ſpecies,—1mo, Cutis, Erythema, nimirum et Eryſipelas,—2do, Telæ reticulatæ, Phlegmonam,—3tio, Membranarum pellucidarum,—4to, Membranarum mucoſarum,—et, 5to, Fibrarum muſculoſarum,—inflammationem, dividimus. Ante verò quam de his ſpeciebus ſigillatim agemus, quædam de ſignis, quibus inflammationem adeſſe cognoſcitur, ejuſdemque terminationibus, præmittamus oportet.

DE SIGNIS QUIBUS INFLAMMATIONEM ADESSE COGNOSCITUR.

Quando morbus externam corporis partem afficit, nullum eſt errandi periculum: tunc enim tenſio, tumor, calor, et dolor, manifeſta ſunt: porrò, ſi hæc ſigna graviora fuerint, cutis ſicca, arteriarum pulſus frequens, validus, et durus, ſitis, cibi faſtidium, inſomnia, rigores, et urina coloris rubicundioris, comitari ſolent. Hæc autem ſigna, quæ apud medicos Pyrexia vocantur, haud ſunt perpetui et individui inflammationis comites: exiſtit enim, nec raro quidem, inflammatio quæ nullam generalem corporis pyrexiam accendit. Hujus rei exempla ferè quotidiana ſunt ophthalmia, minoresque phlegmonæ, furunculi, puta, hordeolum, &c. Quædam etiam gravioris inflammationis exempla, fracturis membrorum compoſitis, vulneribusque a ſcloppo-

rum

rum glandibus, ſupervenientia, ſubinde occurrunt; nec ullam pyrexiam excitant.

Partem internam inflammatione affici judicamus e dolore ejuſdem conſtante, functionibus turbatis, pyrexia plùs minùs gravi comitante, et ſpecie ſanguinis detracti, qui cruſtam coriaceam ſuperficiei ſuæ innatantem plerumque exhibet.

Interpellatio functionum partis laborantis eſt adeo certus inflammationis index, ut quoties dolorem fixum aut perpetuum, et pyrexiam, comites habuerit, nullam de morbi natura, et plerumque ſede etiam, dubitationem relinquat.

Peculiaris ſanguinis ſpecies, quæ e glutine, inter cogendum, ſeparato, cruorique cruſtam tenacem, ac coriaceam albam, obducente, pendet, a veteribus habita eſt, et adhuc etiam a recentioribus quibuſdam, pro indicio diatheſeos phlogiſticæ minime fallace habetur. Ex obſervationibus autem nuper factis, hanc ſanguinis

guinis ſpeciem haud parum e ſanguinem mittendi modo, et forma vaſis in quod recipitur, pendere conſtat. Si enim ſanguis oſtio magno, e venis hominis robuſtioris, pleno ac valido rivo, in vas profundum effluxerit, cruſta illa coriacea nunquam non formabitur : contrà, ſi ex inflammatione laborantis vena tardè aut guttatim in vas minimè profundum recipiatur, iſta ſanguinis ſpecies vix aut ne vix quidem ſe oſtendit. Hoc autem ſanguinis ſpeciei diſcrimen ex detrahendi modo, ſagacem SYDENHAMUM, qui idem de pleuritide agens memoravit *, minimè fugiſſe videtur.

Cruſta ſanguinis coriacea ſuperficiei hujus aëri objectæ, et temporis ſpatio, quod inter coagulandum elabitur, pro rata reſpondere videtur : intereà enim particulæ ſanguinis rubræ vaſis petunt fundum pondere ſuo majore, in maſſam ſolidam et penè nigricantem abitu-

ræ ;

---

* SYDENHAMUS de Pleuritide, p. 333, 334.

ræ; ſerum et gluten, quippe leviora ſupernatant.

Res eſt ſæpiùs obſervata, et notatu digna, quod ſi ſanguis ita detrahatur, ut nullam cruſtam coriaceam oſtendit, æger ſe inde levatum non ſentit, necne reverà levatur, quantum fieri ſolet, quoties ſanguis, pleno rivo miſſus, iſtam ſpeciem exhibet.

Ex dictis igitur patet, clinicum huic ſanguinis ſpeciei, niſi dolor conſtans, partis functionum turba, et pyrexia, ſimul adfuerint, minimè confidere debere: his autem præſentibus, eandem aliquid ad dubium penitùs fugandum conferre. His de inflammatione cognoſcenda dictis, ad ejuſdem terminationes devenimus.

INFLAMMATIONIS TERMINATIONES.

Hæ ſunt reſolutio, ſuppuratio, gangræna et ſcirrhus, effuſio ſanguinis, aut ſeri, erythema, et humor viſcidus e ſuperficie partium internarum effuſus.

Quando ſigna, ſive naturæ viribus, ſive remediis idoneis adhibitis, paulatim, ſalvâ ſimùl fabricâ partis, decedunt, morbum reſolutione finiri dicimus. Hujus cauſæ ſunt, exhalatio aucta in telam celluloſam partium morbi ſedi vicinarum, vel exinanitio aliqua e partibus ab hac remotis, ſive arte ſive ſponte fiat; qualia ſunt hæmorrhagia, ſudor univerſus, tepidus, ac fluidus, diarrhœa, urina copioſa ſedimentum lateritium deponens, et metaſtaſis; hæc enim vaſa partis inflammatæ laxant, actionem eorundem nimiam minuunt, ſanguinisque congeſtum tollunt.

Si

Si morbus autem, medicinâ parùm obſtante per aliquot dies, urgere pergat; ſi pyrexia mitior fiat; ſi arteriarum pulſus molliores, et pleniores, evadunt; ſi dolor pulſatilis in parte laborante ſentiatur; ægerque ſubinde conqueritur rigores, qui tamen raro, niſi inflammatione latiùs diffusâ, inſignes exiſtunt, ſuppurationem appropinquare colligere licet: tempus quo incipiat, aut incepta finiatur, incertum, et in variis exemplis varium, ſit oportet.

Suppuratione finitâ, ſi pars externa morbi ſedes eſt, dolor ac rubor paulatim minuuntur; et tumor albeſcens, mollis, fluctuans, et pruriens, facilè percipitur: contrà, ſi malum internam corporis partem occupat, remittente, aut ceſſante dolore, anxietate, ac ponderis ſenſu in parte affecta, febre hecticâ, et ſudoribus loco propriis, ſuppurationem ſubeſſe colligimus.

Collectio, quæ inter ſuppurandum formatur, partibus ejus aquoſis, vaporatis, aut abſorptis, in humorem ſpiſſum, qui pus audit, mutatur. Pus ſincerum dicitur eſſe album, leve, et æquale ; et, affirmante JOANNE PRINGLE, Equite, ſanguinis ſerum, quod mutationem peculiarem, ſive a calore partis laborantis, ſive artis, admoto, ſubit, originem ſuam agnoſcit.

Si humor autem, perſtante inflammatione, effuſus, cum quavis alia ſanguinis parte, ut ſæpe fieri ſolet, et præſertim cum particulis rubris, commiſceatur, pus formandum inſignem ſubit mutationem, quâ partes vicinæ corruptæ roduntur ; et iſta terminatio, quæ gangræna vocatur, accidit.

Porro, hæc inflammationis terminatio ex duobus aliis provenit cauſis, magnâ nimirum corporis in gangrænam proclivitate, et nimiâ vaſorum partis inflammatæ actione, quâ eorundem

rundem vires delentur, humores ſtagnant, partisque interitus ſupervenit.

Gangrænam ſignis inflammationis immanè auctis, et præſertim ingenti partis affectæ dolore, et ardore, inſtare judicamus. Hac autem terminatione omnibus numeris abſolutâ, ſæva illa ſigna decedunt; parsque ſenſu orbata fit mollis, et flaccida; color ejus primò ex rubore vivido in nigricantem mutatur; brevi lividus evaſurus; morbo progrediente, partes affectæ penitùs nigreſcunt; ſanies purulenta tegumenta roſa delet; et cute tandem ruptâ, tabum fœtidum, quâ datâ portâ ruens, partes molles vicinas exedit.

Scirrhus terminus inflammationis tribus jam dictis multò rarior exiſtit. Hoc autem vitium ex inflammatione naſci ſatis quidem probabile videtur; partes autem glanduloſas inflammatas, quippe ſolitis inflammationis remediis ſæpè vix ſanandas, nonnunquam invadit.

Quatuor

Quatuor inflammationis terminationibus jam tractatis, annumerandæ ſunt ſanguinis, aut ſeri, in telam partis affectæ reticulatam effuſio. Hic inflammationis finis pneumoniæ ſupervenire ſolet; humorque effuſus vaſa comprimendo, et ſanguinis circuitum prohibendo, ſuffocationem lethalem efficit. Alterum terminationis exemplum exiſtit erythema; in hoc latex ſubflavus infra cuticulam effunditur, qui eandem, emplaſtri exulceratorii inſtar, inflat, et rumpit.

Denique partium internarum, inflammatione affectarum, ſuperficies exſudat ferè ſemper humorem, qui partim concretus, earundem ſuperficiei adhærens, partim fluidus, in cava, ubi partes jacent, effuſus, apparit *.

His de inflammatione cognoſcenda, ejusque terminationibus, præmiſſis, devenimus ad phænomena

* Cullen's Firſt Lines, vol. i. p. 273.

phænomena propria ſingularum ſpecierum, in quas morbum, cum Doctore SMYTH, ſuprà diviſimus.

1mo, ERYSIPELAS, et ERYTHEMA, vel inflammatio cutis. In his color eſt rubicundus, cupro ſæpè haud abſimilis, potiùs quàm rubor vividus; preſſu ſtatim evaneſcit, citò autem redit; et cum ambitu inæquali huc illuc ſerpit. Dolor haud abſimilis eſt ei, quem ignis corpori juſtò proprior excitat; tumor diffuſus parùmque elevatus exiſtit. Liquor ſubflavus infra cuticulam effuſus hanc in veſiculas modò parvas, modò majores inflat: liquore evacuato, cutis ſuperficies colorem lividum ſæpè exhibet. Cuticulâ tandem in ſquamulas mutatâ, gangræna aliquando, ſuppuratio nunquam, niſi exiſtente phlegmonâ, ſupervenit.

2do, PHLEGMON, five inflammatio telæ reticulatæ. Hac voce auctor jam laudatus comprehendit non folum telam reticulatam propriè fic dictam; fed etiam membranam adipofam, glandulas, et vifcera fabricâ fimili fpongiosâ prædita, maxima ex parte formata ex textu cellulofo, qui feriem vafculorum nervorumque ferè infinitam fibi invicem adnectit. Hæc inflammationis fpecies externè fita ab erythemate difcrepat rubore vivido, tumore circumfcripto, in faftigium medium præfertim elevato, fæpe in apoftema abeunte, magna tenfione, et dolore fæpe pulfatili.

3tio, INFLAMMATIO MEMBRANARUM DIAPHANARUM. Hoc vocabulo idem auctor omnes corporis membranas fabricæ denfæ, firmæ, duræ, et plùs minùs pellucidas intelligit, quales funt periofteum, ligamenta capfularia articulorum, dura mater, tunica arachnoidea, pia mater, pleura, non folum quæ thoracis ca-

vum

vum intus cingit, ſed etiam quæ tunicam externam pulmoni præbet, et mediaſtinum format; pericardium, peritoneum ejusque propagines quales ſunt ligamenta, et tunica externa omnium abdominis viſcerum communis; tunica vaginalis chordæ ſpermaticæ, teſtium, et ligamentorum rotundorum in mulieribus.

Hujus inflammationis ſpeciei phænomena non bene intelliguntur: dolor acutus, et plerumque pyrexia, adſunt, quæ quidem ſigna huic cum phlegmone, et eryſipelate, communia ſunt: ab his tamen terminatione ſpeciatim diſtinguitur: membranæ enim diaphanæ inflammatæ, præter naturam craſſæ et opacæ fiunt: et ſuperficies ipſarum modò humorem exſudant viſcidum aut purulentum, qui adhæſionibus præter naturam auſam dat, modô autem cava, quæ his membranis amiciuntur, replentur ſero turbido, cui fibræ innatare obſervantur.

4to, INFLAMMATIO MEMBRANARUM MUCOSARUM. Hæ ſunt tunicæ, quibus os, nares, aures, fauces, larynx, trachea, bronchia, pharynx, œſophagus, ventriculus, inteſtina, urethra, veſica urinaria, ureteres, renum pelvis, vagina, uterus, tubæ Fallopii, palpebræ, et pars oculi anterior, inveſtiuntur.

Præcipua hujus ſpeciei inflammationis ſigna ſunt ſuperficiei villoſæ et ſpongioſæ factæ rubor, aucta ſentiendi vis, moleſtiæ, et caloris, rarò autem acuti doloris, niſi ab aëre frigido, aut humore, partem inflammatam, verrentibus, ſenſus, et membranarum præter naturam craſſitudo. Mucus tunicis ab aëre humorumque acrimonia defendendis dicatus, ex blando, ac viſcido, in liquorem acrem, et tenuem, haud raro partes, quibus affluit, erodentem, mali finem verſus purulentum futurum, mutatur. Hæc inflammatio haud raro aliquamdiu perſtat, quotiesque gravior fuerit, pars af-

fecta

fecta fit debilis, novisque mali tentationibus a levi causa opportuna diutius manere solet.

5to, Musculorum inflammatio; hæc refert ad rheumatismum acutum. Hæc species a cæteris jam recensitis insigniter dissidet: indicia sunt, dolor admodum acutus; pyrexia comitatus; calore, et motu, auctus; musculorum tractum sequens, sanguis missus crustâ coriaceâ albâ tegitur.

Articuli cæterarum corporis partium frequentissimè hoc malo laborant; hinc nonnullis, idem sedem suam in artuum tendinibus ac ligamentis semper figere persuasum fuit: cùm autem musculi lumborum, et ei, qui inter costas jacent, eodem sæpe afficiuntur, illa opinio falsa sit oportet. Minimè autem negare volo, quin artus et eorum ligamenta sæpius afficiantur. Rheumatismus hoc a cæteris discrepat, quod rarò, aut nunquam forsan, in suppurationem abit. Effectus ejus, quando non per-

fectè ſanatur, aut diutius perſtiterit, arthrodynia ſunt, muſculorum debilitas, et paralyſis, articulorum rigiditas, effuſio materiæ viſcidæ circa tendines et ligamenta articulorum majorum, motum prohibens.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hæ a medicis in Prædiſponentes et Occaſionales vel Excitantes dividi ſolent. Per cauſas prædiſponentes intelliguntur, omnia quæ corpus morbo opportunum reddunt; qualia ſunt diatheſis phlogiſtica, plenitudo, et vis corporis irritabilis juſtò major. Diatheſin phlogiſticam mortales in phlegmaſias proclives facere hinc patet, quod eædem in regionibus frigidis maximè invalent, floremque ætatis, et præcipuè qui dietâ pleniori, et ſtimulante nimis, utuntur, ſæpiſſimè adoriuntur.

His

His porrò causis accenseri debent ignavum vitæ genus et calor, variis formis admotus, quæ corpus justò irritabilius, ac plenius, reddent, et priores inflammationis tentationes, quæ partis affectæ proclivitatem insigniter augent.

Has causas perpendenti liquidò constabit corporis conditionem, quæ mortales inflammationi opportunos reddit, non semper in vigore nimio, ut quibusdam placet, consistere; nonnullæ enim ex his causis corpus debile, plenum, et irritabile, planè reddunt.

Porrò de opportunitate ad inflammationem observandum est, quasdam causas occasionales tantâ vi pollere, ut nullam quidem proclivitatem, ad inflammationem excitandam, præter vim irritabilem corporis naturalem requirant.

Causæ excitantes sunt, 1mò, Stimulantia omnigena in corpus agentia; qualia sunt, ignis, acida fortia, quædam oxyda, et sales neu-

trii,

trii, nonnullæ aëris ſpecies, acria ex frugibus, et animalibus, derivata, ſinapi putà, canthari-des,—ſales alkalini puri. 2dò, Vis externa, ſive hæc partes vulnerando, tendendo, comprimendo, tundendo, &c. agat. 3tiò, Res extraneæ parti affectæ inhærentes, eandem mole aut pondere comprimentes; vel vi chymicâ, mucrone aliâve formâ, irritantes. 4tò, Frigus gangrænæ protinùs ciendæ impar. 5tò, Diſtributio ſanguinis abnormis partem laborantem verſus facta.

Quamvis autem cauſæ, quæ inflammationem protinùs concitant, ad nonnullas ex jam dictis plerumque referri queant; res eſt tamen ſatis nota, eandem interdum nulla omninò ſenſibus noſtris percipienda cauſa corpori admota, ſponte quaſi oriri.

CAUSA PROXIMA.

Tensio, tumor, calor, et dolor, ſunt præcipua inflammationis phænomena, ut ex morbi hiſtoria patet. Variæ hypotheſes ad horum ſignorum rationem reddendam excogitatæ fuerunt. Bellini, ni fallor, primò, et poſteà Boerhaavius, ſanguinis lentorem, partis inflammatæ vaſcula obturantem, pro præcipua cauſæ mali proximæ parte habuerunt: his enim obſtructis, particulas ſanguinis rubras a via ſua aberrantes naturali in vaſcula pellucida, antea impervia, impulſas fuiſſe, opinati ſunt: hanc particularum rubrarum aberrationem errorem loci vocabant; indeque partis tenſionem, tumorem, ruborem, ac calorem oriunda poſuerunt; obſtructionis cauſam, ſanguinis ſcilicet lentorem, cruſtâ coriaceâ albâ, quæ in ſuperficie ſanguinis in phlegmaſiis de-

tracti

tracti apparere ſolet, exiſtere, liquidò probatum fuiſſe crediderunt. Sanguinem autem in phlegmaſiis ſolito tenuiorem eſſe conſtat; et cruſtæ coriaceæ ratio, ut ſuprà diximus, aliis principiis redditur.

Cullenus, Boerhaavii ſententiâ rejectâ, arteriarum partis inflammatæ extremarum debilitatem, et ſpaſmum huic debilitati ſupervenientem, cauſam inflammationis proximam eſſe poſuit. Ideo ſpaſmum et debilitatem exiſtere colligit, quòd omnis ferè inflammatio gravis pyrexiam comitem habet. Quamvisque nulla pyrexia generalis in levioribus inflammationibus loco ex toto propriis percipitur, has tamen ex eadem partis inflammatæ conditione, arteriarum nimirum extremarum debilitate et ſpaſmo pendere contendit. Partis quidem tenſio, tumor, calor, et dolor, huic opinioni favere videntur. Obſtructionem igitur quam Bellini et Boerhaavius ſanguinis lentori tribuerunt, Cullenus arteriarum

extremarum

extremarum ſpaſmo et debilitati, actionem auctam in majoribus arteriis ſuſtinentibus imputat; et quamvis concedit, errorem loci incidere, inflammationem tamen rarò ex eodem oriri aſſerit. Super hac hypotheſeos BOERHAAVIANÆ parte ſic ratiocinatur: "The "motion of the blood in the extreme veſſels "is ſo weak and ſlow, as readily to admit a "retrograde courſe of it; and therefore if a "particle of blood ſhould happen to enter a "veſſel whoſe branches will not allow of its "paſſage, it will be moved backwards, till it "meets with a veſſel fit for tranſmitting it, "and the frequent ramifications and anaſto-"moſes of the extreme arteries are very fa-"vourable to this*." Hic autem BOERHAAVIO ſolita ſua felicitate adverſari non videtur, ipſe enim obſtructionem non a ſangui-nis

* Firſt Lines, § 241, et ſeq.

nis lentore, sed a spasmo, provenientem, ponit: res igitur, quas loci errori objecit, obstructioni a spasmo, et debilitate, aut quavis alia causa proficiscenti, eodem jure regeri potuissent. Et sanè inflammationis signa cujus exemplum sit ophthalmia, quippe in qua phænomena clarè conspici possunt, CULLENI ratiocinio de errore loci prorsùs repugnarit: in hac enim inflammatione, particulæ sanguinis rubræ in vascula adnatæ pellucida antea impervia transeunt, neque retrogradæ fiunt. Si hoc verum sit de ophthalmia, de omni quoque inflammationis exemplo verum sit oportet.

Doctor WALKER aliám protulit hypothesin, quæ reverà nihil aliud est, quam CULLENI opinio aliquantulum mutata *: Ille enim, spasmo

---

* Differt. Med. Inaug. de Inflammatione, Edin. M DCC XCVI.

ſpaſmo amiſſo, debilitatem, ex qua CULLENUS ſpaſmum pendere ponit, retinere non dubitat: poſt multas vix pueris dignas ambages, opinionem, quam propriam vocat, his verbis tandem depromit: "Quam theoriam verò "ſignifico, ea eſt debilitatis vel actionis di-"minutæ doctrina." Deinde addit: "Mihi "quidem volupe eſt dicere, hanc opinionem "a Societate Medica Regia Edinenſi, quæ "quidem in primis ſpectabilis enixè defen-"di et ſuſtineri. Cùm verò ſociis ejus "non adſcriptus ſim, nihil fructus ab ob-"ſervationibus eorum acutis et ingenioſis "percepi; et nullus adhuc, quod noverim, "auctor hanc opinionem, in vulgus edi-"dit."

Probabile videtur Doctorem WALKER iſtam opinionem concepiſſe, perlecto opere anonymo, anno M DCC XCV, vulgatò ab auctore, qui modeſtiam mirè ſimulat, et cùm

maximè fallit, id agit, ut vir bonus videatur *.

Redeamus nunc ad argumenta, quibus Doctor WALKER vaſorum partis inflammatæ debilitatem eſſe inflammationis cauſam in omni exemplo probare conatur.

" Arteriæ," inquit ille, " uti omnes perſpectum habent, tunicâ, cui elater ineſt, et muſculari ſunt inſtructæ. Harum prior ad arterias in medio dilatationis tenendas planè confert; ultra quem ſi causâ quâlibet diſtendantur, tunica, elaterem poſſidens, eas ad conditionem priorem reducere

* Qui fuſiùs de hujus auctoris conſilio certior fieri velit, is conſulat opus ipſum, cui titulus, " An Addreſs to Medical Students: A Letter to Dr FORDYCE, with Remarks and Queſtions upon Quotations from Dr FORDYCE's Diſſertation on Simple Fever." 8vo, pret. 1 ſol. Ang. BELL, 1795.

" cere conabitur. Ita contractio tunicæ muſ-
" cularis ad diametrum vaſorum diminuen-
" dam evidenter facit, cui tunica elaſtica ob-
" ſiſtit, ea ad ſtatum medium referre conſtan-
" ter annitens. Non verò improbabile eſt,
" ea intra hunc per tunicam muſcularem ple-
" rumque ſervari. Quod ſolùm igitur, ac-
" tione ſuâ, tunica muſcularis poteſt, eſt dia-
" metros arteriarum minuere, et ſanguinem
" per eas propellere."

Hac arteriarum fabricâ, et tunicarum di-
verſarum uſibus traditis, Doctor rogat, " Quo-
" modo fieri poteſt, ut actione arteriarum ad-
" auctâ, quantitas ſanguinis inuſitata, in vaſa
" quibus diametri inde minuantur, influere
" valeat?" Deinde addit, " Effectus huic
" omninò contrarius haud dubiè edetur;"
fatetur tamen quod, " Velocitas ſanguinis in
" iis haud dubiè augebitur, ut lex hydrauli-
" ca notiſſima docet, progreſſum nempe flui-
" di

" di diametro vasis, per quod movet, pro ra-
" tione inversa, esse responsurum."

His autem objectis responderi potest, nondum satis de arteriarum fabricâ inter anatomes cultores constare; neque Dominum WALKER HUNTERI, de earundem fabrica, opinionem plenè et accuratè tradidisse: HUNTERI enim experimenta vim arteriarum resiliendi, quo proprius cordi sunt, majorem, quo longius autem ab eodem distant, minorem, esse docent: Vel, quod eòdem redit, arteriarum resiliendi vis capacitatem earundem sequitur; vis autem musculosa arteriarum diametro, pro ratione inversâ, respondet *.

Si igitur arteriarum fines sint sedes inflammationis, ut ponitur in hypothesi quam WALKER defendit; principia, quibus innitur, sunt evidenter falsa, cùm nulla ferè tunica elastica in arteriarum finibus existit.

Porrò

* HUNTER on Inflammation, p. 114.

Porrò Hunter ipſe non negat, quin tunica externâ, quæ elaſtica vocatur, fibras muſculoſas habeat; inſuper fibræ muſculoſæ ipſæ reſiliendi vi præditæ ſunt: tunicarum igitur diſcrimina, quæ poſuit cel. Hunter, aliquatenùs imaginaria. Denique, etiamſi argumentandi causâ, concedatur, arteriarum extremarum fabricam talem eſſe, qualem Doctor Walker poſuit, ratio facilè reddi poteſt, quarè ſanguinis quantitas præter ſolitum magna in partis inflammatæ vaſa influit: qua enim proportione arteriæ diametros tunicæ muſculoſæ contractione minuitur, eâdem, tunicæ elaſticæ elatere, dilatetur oportet; hinc, ſi arteriæ contractio præter naturam magna fuerit, dilatatio quoque pro rata parte, præter naturam augebitur,

Secundum Domini Walker argumentum non minus eſt caducum. "Vir clarus," inquit ille, "Joannes Hunter, in ſuo, qui "de ſanguine inſcribitur, libro, paginâ 282, "notat,

" notat, " That the pain in the part infla-
" med is increafed by the diaftole of the ar-
" tery; and that a part inflamed, by being
" gently preffed, is made eafier. Thefe,"
inquit ille, " are ftrong proofs, that inflam-
" mation does not confift in a contractile ac-
" tion of the mufcular coats of the veffels;
" for, in fuch a fenfible ftate, if they con-
" tracted by their mufcular power, the pain
" would be in their fyftole; for we find in
" all mufcles, which are in a ftate of great
" fenfibility, that they cannot act without gi-
" ving great pain."

Quoad hoc argumentum refpondemus, dolorem partis inflammatæ non femper preffu levi mitigari: nam in *gaftritide* et *enteritide*, &c. dolor preffurâ leviffimâ augetur: porrò, mufculi non poffunt agere quin fimul contrahantur; ergo dolor æque ex arteriæ fyftole ac ejufdem diaftole pendet. Et fane quamvis etiam concedamus, dolorem augeri per diafto-

lem,

lem, argumentum nihil omninò valeret; nihil aliud enim quam actionem arteriarum auctam probat.

Denique, Doctor Walker opinatur partis inflammatæ vasa dilatari non posse, quin simul debilitate afficiantur: hujus autem rei, quæ est princeps cardo opinionis cui favet, ne umbram quidem probationis affert: est igitur absurda, et fons erroris præcipuus videtur. Quando pudor vultum rubore suffundit, debilitanturne vasa, in quæ sanguis quantitate præter solitum magna influit? An vesicatoria vasorum partis, cui admoventur, debilitatem ante inferunt, quam inflammationis signa se ostendunt? Nemo sanus, ut opinor, affirmaverit. Cùmque eadem est omnium stimulantium ratio, omnem inflammationem actuosam nimiam vasorum actionem comitem habere, colligere fas est.

Minimè quidem negamus, quin inflammatio interdum ex debilitate vasorum partis pendeat.

deat. Ad ſummam; veriſimile nobis videtur inflammationem dividi debere in *activam* et *paſſivam*: conſtat enim experientia aliam inflammationem ſanari regimine antiphlogiſto, ſanguinis detractione, et omnibus, quæ vim cordis et arteriarum imminuunt; aliam verò remediis omninò contrariis cedere, cinchonæ nimirum vino, aliisque auxiliis, quæ totius corporis, partisve affectæ, vires intendunt. Porrò, rerum uſu, periti benè nôrunt inflammationem initio activam, progrediente morbo in paſſivam abire, jamque remedia omninò contraria his, quæ eidem inchoato idonea erant, poſtulare: hoc quidem de omni inflammatione ferè activa verum videtur: citiùs enim aut ſeriùs pro aucta vaſorum actione, cauſarumque vi, in paſſivam deſinit. Temporis ſpatium, quod inflammatio durat, priuſquam hæc mutatio incidit, definiri non poteſt.

Res quæ huic mutationi obſtant, vel favent, haud difficilè intelliguntur. In omni exemplo ſanguinis congeſtus in vaſis partis inflammatæ exiſtit; ſi morbi initio congeſtus minuatur, vel curſus ſanguinis veſicatoriis, aliisve auxiliis, alibi avertatur; vaſorum vires conſervabuntur, morbusque reſolutione terminabitur. Si autem morbus diutius perſtiterit, ita ut ſanguinis congeſtus, vaſa ultra modum diſtendat, et inſignem debilitatem efficiat, ſuppuratio, ſcirrhus, gangræna, vel effuſio, pro diverſa partis ſtructura, et inflammationis magnitudine, ſupervenire ſolent.

Quicunque igitur inflammationis phænomena, cauſas, et remedia præjudiciis vacuus cautè ac candidè perpenderit, is, uti opinor, duas ejuſdem ſpecies, *actuoſam*, nimirùm, et *paſſivam*, exiſtere colliget. *Actuoſa*, ut diximus, ni ipſi tempeſtivè occurratur, in *paſſi-*

vam, citiùs ocyùs pro morbi, causarumque, violentia, mutatur. Hæc mutatio interdum adeo est velox, ut observatores minus accuratos effugiat.

RATIO SYMPTOMATUM.

Omnes inflammationis causæ remotæ, totius corporis vel partis affectæ, vel utriusque vim irritabilem et actionem intendunt: hoc evidenter patet eo quod inflammatio in regionibus frigidis, et præsertim hyeme, et vere, viget; et robustos, eosque præcipuè qui diæta maximè stimulante, qualia sunt carnes, liquores fermentati, &c. vescuntur. Quando inflammatio ab impetu totius sanguinis massæ, vel partis affectæ, oritur, particulæ rubræ impelluntur in vasa, quæ antea serum tantùm admiserunt; eadem præter solitum distendunt,

dunt, et actionem eorundem augent, et vicem causæ excitantis præstant. Hinc partis tensio, rubor, dolor, et tumor quoque; hic autem quodammodo ex humoribus in telam cellulosam partis laborantis pendere videtur. Hæc quidem doctrina ponit errorem loci, qui in omni inflammatione, ut suprà exposuimus, incidat necesse est. Doctor WALKER assumpsit errorem loci non, nisi debilitate vasorum prægressâ, contingere posse: hoc autem est mera *petitio principii*, ut dialectici loqui amant.

Quoad inflammationem passivam, signorum ratio ex antea dictis patet.

PROGNOSIS.

JUDICIUM de inflammationis exitu haud parùm pendet ex mali sede, progressu, et tempore,

pore, quo medicina adhibetur. Si inflammatio partem corporis externam occupet, et causæ excitantes leves fuerint; neque inflammatio multùm diffundatur, neque profundiùs sedeat; si pyrexia simul, cæteraque signa, non gravia existant; si etiam suppuratio facta non tam latè serpat, neque adeò profunda sit, ut insignis debilitas ex humorum detractione timenda sit; si denique ægri valetudo sit cætera sana, eventum faustum præsagire plerumque licebit.

Contrà, si levissima gangrænæ signa apparent, cautissimè de exitu judicandum est, hîc enim malum exitium ferè semper affert. Summum periculum ex tabo putrido absorpto, et in sanguinis massam delato semper imminet. Donec igitur partes gangræna affectæ, omnisque in putredinem proclivitas, penitùs tollantur, nihil boni augurandum est.

Si

Si pars interna vitæ neceſſariæ morbi ſedes fuerit, prognoſis ferè ſemper anceps eſſe debet: ſi reſolutionis quidem ſigna, exinanitio, putà, ſanguinis profluvium ex aliqua parte, diarrhœa, ſudorve copioſus tepidus et univerſus, primis morbi diebus ſe oſtendant; aut ſi ſigna remediis adhibitis miteſcunt, ſalus ſperanda eſt. Si morbus autem perſtet per aliquot dies ſine indiciis reſolutionis jam dictis, neque ſignorum vis medicinæ adhibitæ cedeat, et præſertim ſi gangrænæ indices ſe oſtendant, exitus infelix jure timendus eſt.

CURATIO.

A CONSPECTU ſuprà tradito, duas inflammationis ſpecies, quarum alteram ex nimio vaſorum vigore, alteram verò ex eorundem debilitate

debilitate et laxitate pendentem, exiſtere patet. Medendi igitur ratio, ſe, ſponte quaſi, in duo conſilia dividit :

1mò, Morboſum vaſorum vigorem tollere :

2dò, Debilitatem et laxitatem eorundem corrigere.

Primum conſilium abſolvitur omnibus rebus, quæ vim cordis et arteriarum minuunt; qualia ſunt, regimen antiphlogiſticum, ſanguinis detractio, alvi purgatio, diaphoretica et ſudorifica, et remedia externa : de quibus paucis ſigillatim.

Regimen antiphlogisticum in omni ferè inflammationis actuoſæ exemplo ſedulò adhibeatur neceſſe eſt : Aër igitur cubiculi frigidulus eſſe debet, frigus enim, peritè ad-

motum,

motum, nimiam ſyſtematis actionem inſigniter minuit; idem autem ejuſdem gradus non omnium partium inflammationi pariter accommodatur; in catarrho enim et pneumonia, cautè adhiberi debet. Caloris igitur gradus cuilibet inflammationi ex medici peritia pendebit: eodem conſilio, animi et corporis exercitatio; victus ſoliti, præſertim ex carnibus, liquoribusque fermentatis parati, ſtimulus; ventriculi cruditas, et irritatio a fæcibus inteſtinorum, diutius retentis, cautè fugiantur oportet. Pro regiminis antiphlogiſtici parte, diluentia grata, et medicamenta refrigeratoria, acida, putà, nativa frugum, ſales medii, hauſtus Riverii, tartarum, aut nitrum, multâ aquâ ſolutum, inſigni vi pollent in mitiganda irritatione, ortâ ex ſiti, et calore intenſo, quæ omnem gravem inflammationem perpetuò comitantur. Quidem ferè nulla diæta in gravioris inflammationis exemplis

ſæviente

ſæviente diatheſi phlogiſtica, concedi debet: diluentia ſola ſufficiunt: aqua copiosè ſumpta, ſanguinis maſſam diluendo, omnium humorum acrimoniam et ſtimulum minuit. Vi cordis et arteriarum ſatis debellatâ, diæta ex frugibus mucoſis decocto, ſcilicet hordei, oryzæ, avenæ, ſago, &c. et fructibus ſubacidis conſtare debet.

Sanguinis detractio, peritè adhibita, plus cæteris omnibus remediis ad nimiam vaſorum actionem minuendam facit. Haud vulgaris autem peritiæ eſt judicare quanta debet eſſe detractio, quandoque repetenda eſt. Quoad hæc, nulla quidem regula generalis tradi poteſt; ægri autem viribus, ætate, et ſexu, anni tempeſtate, ſignorum gradu, morbi tempore, et effectu, quem ſanguis jam miſſus edit, plerumque ordinari poterunt. Hæc quidem primo aſpectu, factu facilia videantur, rerum

autem

autem usu periti rei difficultatem benè nôrunt. Ex hoc remedio sine discrimine, aut intempestivè adhibito, ingens sæpe miseria profluxit. Nondum quidem satis inter medicos convenit de sanguinis detractionis usu in erysipelate; in aliis enim hujus mali exemplis sæpe exitio fuisse; in aliis autem insigniter profecisse usus docuit, eandem autem quoties diathesis phlogistica adest, non minus hîc forsan, quàm in aliis inflammationibus, profuturam, verisimile mihi videtur. Quando verò debilitatis et putredinis indicia se comites jungunt, cinchona officinalis, aliaque tonica, vinum putà, sæpe feliciter usurpata fuisse, experientia docuit. Sunt qui liberam sanguinis detractionem in membranarum diaphanarum inflammatione parùm idoneam esse affirmant: ob magnam tamen pyrexiam et dolorem acutum, quæ eandem comitantur, copiosam sanguinis detractionem omninò ne-

ceſſariam crediderim. Quis enim in duræ matris, peritonei, pluræ, &c. inflammatione ſanguinem liberè detrahere dubitaret? Nonne aſcites, hydrocephalus, artuumque in rheumatiſmo tumores, ex ſanguinis detractione neglecta, ſæpenumerò provenerant? Ad hanc quidem inflammationis ſpeciem animum parùm attendiſſe videntur nonnulli medici; nullo alio ſaltem modo opinionis adeo periculoſæ fontem indagare poſſum.

Membranarum mucoſarum inflammatio citius forſan quam quævis alia ad ſuppurationem pervenit: ob hanc ſubitam puris formationem, nonnulli auctores clari, pus humorem ſecretum eſſe colligerunt. Hæc quidem inflammatio detractionem ſanguinis generalem non ſæpe requirit, ante quidem in paſſivam deſinere ſolet, quàm clinicus acceſſitur; aſtringentia medicamenta applicata benè accommodantur: et plerumque votis noſtris

reſpondent:

respondent: si autem inflammatio ineunte morbo, gravior fuerit, sanguinis detractio astringentibus præmitti debet. Si hæc inflammatio neglecta, aut inveterata in stillicidium, ut non rarò in gonorrhœa, abiit, difficillimè quidem sanatur. Hoc pendere videtur partim ex machinæ animalis lege, quâ fit, ut consuetudo, ex quacunque causa inveteraverit, difficilè depellatur; et partim ex inerti medicandi usu, qui, morbo jam provectiore, hincque mitiore facto, adhiberi solet. Cùm autem actio vasorum inveterata depulsu difficilis fit, ratio medendi magìs actuosa, quâ inveteratio mutetur, et novus agendi modus excitetur, manifestò necessaria est.

Inflammatio membranæ mucosæ urethræ aliquando paulatim decedit, et stillicidium e purulento in pellucidum, et specie tenus, naturale, mutatur: hæc mutatio aliquando subitò nimis incidit: tuncque alia inflammationis

nis ſpecies, phlegmona ſcilicet in tela celluloſa partis vicinæ aliquando ſupervenit, ut hoc malum tollatur, ſtillicidium, acribus in urethram injectis, renovari neceſſe eſt.

Nulla eſt inflammationis ſpecies quæ liberiorem ſanguinis detractionem requirit quàm phlegmon, præſertim quando internas corporis partes afficit; cùm autem corpus externum occupat, hirudines, ſcarificatio, vel cucurbitulæ cum ferro, applicatæ, plerumque clinici votis reſpondent.

Tempeſtiva ſanguinis detractio optimum quidem in rheumatiſmo acuto remedium videtur. De ſanguinis detractione in rheumatiſmo acuto acriter inter medicos diſputatum eſt: alii arthrodyniam, et paralyſin ferè immedicabilem, quæ interdum ſuperveniunt, inde exoriri contendunt; dum alii eandem pro optimo remedio habent. Magna pertinacia, quâ hæc affectio medicinæ interdum reſiſtit,

et

et proclivitas, quâ in arthrodyniam fertur, huic liti ansam præbuisse videntur: porrò rei difficultas inde augetur, quod rheumatismus cinchonâ sanatur. Vix autem mihi persuadere possum, quin justâ sanguinis copiâ tempestivè detractâ, sit omnium remediorum præstantissimum: non omni autem clinico licet esse tam felici, ut ab aurea mediocritate non aberrat: utrinque peccari potest, et, ut poëta canit,

"Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim."

Actio nimia vasorum in rheumatismo acuto tandem in debilitatem abit, hocque eo citiùs fit, quo major justò sanguinis quantitas detrahatur: his igitur rebus quam medici de sanguinis detractione in hoc morbo moverunt, nostrâ opinione positâ, componi potest. Cel. SAUNDERS ipse, qui cinchonam in rheumatismo primò commendavit, eandem, non nisi

diathesi

diathesi phlogisticâ per sanguinis detractionem, aliaque exinanientia, debellatâ, exhibet.

Alvi purgatio ad diathesin phlogisticam tollendam benè accommodata est: minimè tamen, æquè ac sanguinis detractio, valet; neque effectus ejus adeo diuturni sunt. Cathartica, quæ huic consilio optimè respondent, sunt refrigerantia, et præsertim *crystalli tartari, potassa tartarisata, soda tartarisata, soda vitriolata, soda phosphorata, magnesia vitriolata*, &c. larga aquæ copia diluta, ut magìs refrigeratoria fiant. Alvi purgatio prodest in omnibus ferè inflammationibus, præsertim in externo corpore sitis; qualia sunt, phlegmon; erysipelas cum diathesi phlogistica; et rheumatismus quando afficit musculos inter costas sitos, aliosve, qui non multùm afficiuntur corporis motu, quem hæc exinanitio

tio inevitabilem reddit: leviori quoque membranarum mucofarum inflammationi, et omnibus quidem mitioribus exemplis, ubi fanguinis detractio vix neceffaria videatur, benè accommodata videtur. Alvi purgatio pneumonia laborantibus nocere videtur, quia, fputa, quibus morbus fæpe folvitur, minuit, aut penitùs fiftit: eadem autem in hepatitide admodum proficere folet. Renibus cæterisque viis urinæ inflammatis, clinici votis optimè refpondent, oleum ricini, manna, &c. fales enim neutrales in fanguinis maffam delati, has partes inflammatas nimis ftimulant.

Diaphoretica et Sudorifica mitiora, qualia funt hauftus Riverii, ammonia acetata, antimonium tartarifatum, &c. diathefi phlogiftica exinanitionibus idoneis præmiffis imminuta, felici eventu in plerifque inflammationis exemplis, præfertim catarrho, pneumonia,

nia, hepatitide, nephritide, cynanche, dari ſolent. Nauſea cutis halitum promovet, et vaſorum actionem ſimùl minuit, vomitoria igitur doſibus nauſeoſis adminiſtrata haud rarò inſigniter proficiunt.

Opium, nimia vaſorum actione per ſanguinis detractionem, aliasve exinanitiones, ſatis minuta ſæpe uſurpatur, et inſigni ſua irritationem minuendi, et dolorem ſedandi vi, feliciſſimos effectus non rarò edit, præſertim in vulneribus a ſclopporum glandibus, teſtium inflammatione, et illa quæ amputationibus ſupervenit: membranis quoque mucoſis inflammatis, enixè a quibuſdam commendatur, hinc in catarrho, inflammatione ureterum, veſicæ, urethræ, et dyſenteria, alvi purgatione præmiſsâ, inſigniter prodeſt. Hoc quidem remedium ritè adminiſtratum eſt optimum forſan omnium, quorum nobis copia datur; ut autem optandos hos effectus edat, liberali

manu

manu detur neceſſe eſt: quoties enim expectationem noſtram fallit, hoc ex doſi juſtò minori datâ pendere videtur: inter utendum alvi duritiei occurratur oportet.

Pulveri ipecacuanhæ compoſito magna rheumatiſmi medicinæ pars concreditur.

Præter remedia jam tractata, varia ſunt auxilia externa, quæ ad reſolutionem promovendam faciunt. Horum præcipua ſunt tepidarium, epiſpaſtica, hirudines, ſcarificatio, alumen, plumbi et zinci præparata, cataplaſmata varia, de quibus breviter jam dicemus.

Tepidarium variis formis admotum felici eventu in nonnullis inflammationis exemplis adhibitum fuit; pediluvium et fotus haud rarò ſomnum, opio fruſtrà dato, conciliârunt.

Epiſpaſtica ſunt auxilia præſtantiſſima. Ineunte morbo, et quàm proximè fieri poteſt parti dolenti admoveri debent. Effectus ſuos

bonos haud rarò ſubitò præſtant; hujus rei documentum exiſtit, levamen inde cynanche tonſillari et ophthalmia laborantibus citò perceptum.

Si inflammatio ſit externa, vel ei aditus pateat, partis ſcarificatio, vel hirudines eidem admotæ, haud parùm ſæpe proficiunt; aſtringentia quoque præparata nimirùm ex metallis, præſertim *plumbum acetatum, zincum vitriolatum* aut *acetatum, alumen,* &c. variis formis collyriorum, injectionum, aut cataplaſmatum, cum fructu adhibentur. Si phlegmon partem corporis externam occupet, cataplaſmata frigida et aſtringentia ex mica panis, lacte, et idonea plumbi acetati portione, compoſita, votis ſæpe reſpondent.

Partis autem inflammatæ cutis adeò eſt interdum tenera et ſenſilis, ut res emollientes, oleum putà amygdalarum, adeps, ſevum ſuillum,

lum, aut butyrum, ipſi applicanda, quo dolor mitigatur, neceſſaria fiant. His autem, inter plumbi præparata uſurpandum, quantum fieri poteſt, abſtineatur: plumbi enim efficaciam inſigniter minuunt, ac tardant. Cataplaſma e pane et aceto conflatum ſæpe, et in nonnullis exemplis efficaciſſimè quidem, adhibetur.

Si verò inflammatio his omnibus non obſtantibus, inveteraverit, et dolore pulſatili aliisque ſignis ſuprà memoratis, proclivitatem ad ſuppurationem oſtendat, hanc, auxiliis diſcutientibus ſtatim omiſſis, quamprimùm promovere conemur.

Hoc conſilio, ægro, ſi vires exinanitionibus prægreſſis frangantur, diæta plenior concedatur: in nonnullis quidem exemplis, vinum quoque neceſſarium eſt; ut pus enim bonum fiat, irritatione aliquantulum auctâ opus eſt.

Calor

Calor quoque idoneus parti laboranti admotus, ſuppurationi favet: gradus ejuſdem, qui optimè reſpondet, eſt centeſimus, aut circiter, thermometri Fahrenheitiani, ut viri docti EVERARD HOME, aliorumque, experimenta docent. Cataplaſmata et fomenta calida iterata ſimul ac frigeſcunt, ut calor conſtans et æquabilis ſervetur, huic fini maximè idonea videntur. Ratio eadem adminiſtrandi adeò plenè et accuratè a claro viro BENJAMINO BELL traditur, ut eandem hîc loci exſcribendi copia mihi detur, rogo. "In order to "receive," inquit ille, "all the advantages "of ſuch remedies, the part affected ſhould be "well fomented with flannels, preſſed out of "any warm emollient decoction, applied as "warm as the patient can well bear, conti-"nued at leaſt half an hour at once, and re-"peated four or five times a-day. Imme-"diately after the fomentation is over, a

"large

" large emollient poultice ſhould likewiſe be " applied warm, and renewed every ſecond " or third hour at fartheſt *."

Variæ res, ex quibus ſuppuratoria medicamenta fiant, commendatæ fuerunt: cùm autem nihil aliud quam calore opus eſt, cataplaſma vulgare ex pane et lacte, cui adjungitur olei pauxillum, ut humidum ſervetur, votis benè reſpondet.

Si pars quidem tardiùs ſuppuret, acria parti ipſi applicata, aut cataplaſmati addita, uſurpentur. Cucurbitulæ ſine ferro, hoc conſilio adhiberi ſolent.

Suppuratione abſolutâ, pus plerumque ſponte prorumpit: ſin hoc minus fiat, chirurgi

---

* Treatiſe on Ulcers, § 68.

gi arte, ſi eidem acceſſus pateat, exinanietur; parsque eodem modo, quo ulcus ſimplex, curetur.

Clarus MACBRIDE de cataplaſmatum emollientium et fotùs uſu ſagaciter monet, "That "there ought to be ſome attention given in "regard to continuing the uſe of fomenta- "tions, leſt they be protracted beyond the "due time; for then they will do harm by "creating an additional laxity of the fibres, "whence will ſucceed weakneſs and obſtinate "ſwellings. In thoſe caſes which evidently "depend moſt on relaxation, and weakneſs "of the veſſels, we are to be more ſparing "with reſpect to bleeding and purging, as "well as the application of emollients, and "fomentations, and depend on aſtringents, "repellers, and ſtrengtheners.*."

Si

* Introduction to the Theory and Practice of Medicine.

Si ſigna quæ proclivitatem ad gangrænam indicare ſuprà diximus, ſe oſtendant, ut eadem corrigantur, vel progreſſui ſaltem obſtetur, ſummo ſtudio adnitendum eſt; ni enim hoc fiat, putredo exitium brevi afferet.

Si igitur, ineunte gangrænâ, ingens illa vaſorum actio, ex qua interdum oritur clades iſta, ut anteà poſuimus, regimen antiphlogiſticum, modica ſanguinis detractio, et lenis alvi purgatio adhibeantur oportet: hæc autem malo progrediente, ob ſummam ægri debilitatem prorſus inepta ſunt: hîc igitur ad remedia quæ putredinem, et debilitatem corrigunt, quorum præſtantiſſima ſunt cinchona officinalis, vinum, acida, et diæta nutriens, ſtatim confugere debemus. Vinum et cinchona copiâ, quantam ventriculus ferre poteſt, dentur neceſſe eſt. Si parti laboranti aditus pateat, medicamenta antiſeptica, et leniter ſtimulantia, plumbi, ſcilicet, acetati, aut

ammoniæ acetatæ, et ſimilium, ſolutio, eidem applicari debent: partes enim ſinceræ hujuſmodi medicamentis ſtimulatæ mortuas, liberâ ſuppuratione superveniente, ſejunctas excutient: hoc conſilio ſcarificationes profundæ et iteratæ commendatæ fuerunt; hac autem (ſi excipiamus exempla, in quibus putredo in partes carnoſas, aut molles altiùs penetraverit, et ubi amotio magnæ partium putridarum quantitatis, quæ ægro moleſtiam haud parvam affert, neceſſaria fit) prorſus alienæ ſunt: vitium enim inde non modò latiùs diffunditur; ſed partes ad corporis integritatem neceſſariæ vulnere periclitantur.

Si ſcirrho finitur inflammatio, remedia quæ ad reſolutionem faciendam accommodata ſunt, uſurpentur: horum præcipua videntur hydrargyrum et cicuta; quorum actio partem laborantem unguento hydrargyri, aut oleo ammoniato leniter fricando promovebitur. Si

hæc

hæc medicina fallat, pars, ſi externa ſit, neque e contrario indicium exiſtat, ferro reſcindatur.

Si effuſio inciderit, remedia quæ vaſorum abſorbentium actionem promovent, qualia ſunt ſcilla, hydrargyrum, &c. dentur.

Humor viſcidus e ſuperficie partis internæ exſudatus, nec facilè cognoſcitur, neque ulla quibus eidem feliciter occurri poteſt, remedia novi.

Inflammationi paſſivæ medendi ratio ſatis ex paſſim dictis patet; huic igitur rei diutiùs immorari, minimè opus videtur.

FINIS.